

# **Fabulae**

Paulus Diaconus

## I. Leo aeger, vulpis et ursus.

Aegrum fama fuit quondam iacuisse leonem  
paeneque supremos iam tenuisse dies.  
Iste feras dum rumor adit maestissimus omnes,  
regem namque suum intoleranda pati,  
concurrunt flentes cunctae medicosque vocantes,  
ne careant tanto principis auxilio.  
Hic aderant bubali, magni quoque corporis uri,  
asper adest taurus, affuerantque boves,  
discolor et pardus necnon pariter platocervus,  
hic sonipes pariter hoc comitatus iter.  
His nec defuerant monstrantes cornua cervi,  
capreolique simul, caprigenumque pecus;  
dentibus hic aper est fulgentibus, asper et ursus  
unguibus haud sectis, hic lepus atque lupo.  
Huc veniunt lince, huc confluxere bidentes,  
iungunturque canes atque simul catuli.  
Vulpis sola tamen turmis non affuit istis,  
nec dignata suum visere nam dominum.  
Has tunc ante alios voces emittere fertur  
ursus et has iterum sic iterare minas:  
"O rex magne, potens, princeps invicte ferarum,  
auribus haec placidis suscipe verba tuis,  
Audiat atque cohors tota haec quae subdita magno,  
o rex iuste, tuo noscitur imperio.  
Quae tam dira fuit vulpi dementia quaeve  
tantillam potuit ira subisse feram,  
ut regem, quem cuncta sibi plebs subdita visit,  
hunc haec sola quidem non adisse velit?  
Magna est ista quidem vulpis protervia mentis,  
atque decet magnis subdier illa malis."  
Haec dum dicta refert ursus, rex omnibus inquit:  
"Iam moritura cito dilacerata cadat!"  
Tunc plebs tota simul voces ad sidera tollit:  
"Istum iudicium principis atque bonum!"  
Hoc vulpi innotuit, se quae in plurima vertit,  
atque diu notos praeparat ipsa dolos:  
indumenta pedum multa et conscissa requirit  
inponensque humeris regia castra petit.  
Quam rex dum vidit, placato pectore risit,  
exspectatque diu quid malefida velit.  
Cumque ante ora ducum staret, sic rex prior inquit:  
"Quid moritura feres, quae lanianda venis?"  
Illa diu trepidans, timidoque in pectore versans  
haec subiecta refert praecogitata cito:

"Rex pie, rex clemens, rex invictissime noster,  
accipe nunc animo quae tibi dicta fero.  
Haec, dum namque vias terrarum lustris per omnes  
indumenta scidi ob studium medici,  
Qui posset regis magno succurrere morbo,  
atque tuis magnam demere maestitiam.  
Tandem praecipuum medicum vix inveniebam,  
sed tibi, rex, vereor dicere quae docuit."  
Rex quoque ait: "Si vera refers, dulcissima vulpis,  
dic mihi, quid citius dixerit hic medicus."  
Vulpis ad haec ursi non immemor improba dixit:  
"Cautius haec famulae suscipe verba tuae.  
Ursino si te possum circumdare tergo,  
non mora, languor abit sanaque vita redit."  
Continuo iussu domini distenditur ursus  
a sociis propriis detrahiturque cutis.  
Qua cum gestirent obducere pelle leonem,  
aufugit penitus languidus ille dolor.  
At cum post ursum vulpis sic corpore nudum  
viderat, haec laetis dicta refert animis:  
"Quis dedit, urse pater, capite hanc gestare tyaram,  
et manicas vestris quis dedit has manibus?"  
Servulus ecce tuus depromit hos tibi versus.  
Fabula quid possit ista, require valens.

## II. Vitellus et ciconia.

Quaerebat maerens matrem per prata vitellus.  
Cruribus huic longis obvia venit avis,  
dicit "Io frater, cur tristis pectore mugis,  
vel cur turbatus florida rura teris?"  
Cui sic respondit: "Soror, est iam tertia nunc lux,  
quod lac non tetigi et famulentus eo."  
Verba refert ales: "Ne cures talia, demens;  
nam quia non suxi, tertius annus abit."  
Ad quam indignatus fertur dixisse vitellus:  
"Quo sis pasta cibo, en tua crura docent."

## III. Pulix et podagra.

Temporibus priscis pulix lacerasse potentes  
dicitur atque inopes dira podagra viros.  
Sed pulix noctu ditis dum carperet artus,  
protinus adlato lumine captus erat.  
Altera dum plantis sese occultaret egeni,

stare nequibat egens, fessa erat illa satis.  
Sic quoque consumpti fatis agebantur amaris,  
ille timore necis, illa labore viae.  
Convenere simul, referunt sua damna vicissim  
et placet alterne has agitare vices.  
Divitis interea gressus lacerare podagra,  
at pulix stratum coepit, egene, tuum;  
hinc vacat et recubat. Requies tibi magna, podagra, est.  
Tu, pulix, tutus viscera fessa comes.